

semper vixerat, et commercium epistolare cum haeticis agebat; et praeceptum transgressus fuerat quod in bonum fidei fuerat latum; et vix ac a iudicibus interrogatus fuit an ipse eam doctrinam docuerit, quod quidem ex tot eius operibus evidens erat, ipse non semel, sed bis et tertio pertinaciter negavit. Haec ratio fuit cur ab eo exigeretur sollemne iuramentum quo profiteretur se credere quidquid credit et docet Sancta Romana Ecclesia, et iurando promitteret se nunquam admissurum eam falsam opinionem de immobilitate solis et motu telluris. Ceterum forma decreti, censuraeque doctrinae in se spectatae exhibent communem sententiam tunc temporis, quam auctores decreti sequebantur. Sed cum ipsum decretum sit opus Cardinalium S. Officii, non sit actus Romani Pontificis, qui iussit quidem damnari Galilaeum propter inobedientiam, ipsumque prohiberi ne amplius eam opinionem doceret; sed decreti formam ipse non edidit, quicumque in ea forma iisque censuris sit error, nequit tribui Romano Pontifici loquenti ex cathedra. Dici quidem potest quod si Romanus Pontifex ut persona privata scivisset opinionem communem esse falsam vel dubiam, forte iussisset temperari formam decreti; dico *forte*, quia constat Urbanum VIII prius favisse Galilaeo, et impedivisse ne nota haeresis ea doctrina inureretur; ast aliud est ex privata sententia permittere ut errore aliquo decretum non nomine suo editum maculetur, aliud eundem errorem ex cathedra docere.

#### THESIS XXXIV.

*Frustra quoque sunt, qui ex historia controversiae Trium Capitulorum, et damnationis Honorii in Synodo oecumenica VI, atque ex dissensu Episcoporum francorum in quaestione de cultu imaginum, colligere se posse putant fidem Ecclesiae esse quod Romanus Pontifex fallibilis ex se sit, et Conciliorum oecumenicorum auctoritati obnoxius.*

I. Ex Concilio V, atque iis, quae ipsum praecesserunt et subsequuta sunt, argui contra Romani Pontificis infallibilitatem potest vel eo quod Vigilus sententiam suam mutaverit, vel eo quod Concilium sine ipso actum esse et decretum edidisse dicatur, vel eo quod Episcopi quidam Occidentales obedire noluerint sententiae Vigilii et subsequentium Romanorum Pontificum.

Iam vero 1<sup>o</sup> quaestio de tribus capitulis inter ipsos catholicos agebatur, et quaestio erat non de fide, sed de personis, ut ait Gregorius M. L. II. ep. 51. ad Episcopos Istriae. Scilicet conveniebat inter omnes haeticam esse eam doctrinam, quae illis tribus capitulis contineri dicebatur; verum quaestio duplex restabat 1<sup>a</sup> an iis capitulis,

h. e. operibus Theodori Mopsuesteni, scriptis quibusdam Theodoretii, et epistola Ibae illa haetica doctrina reapse contineretur: 2) utrum ea capitula essent sollemni iudicio Ecclesiae damnanda. Quoad primam quaestionem latini graecitatis ignari rem perspectam non habebant (cf. Constitutum Vigilii, et epist. Pelagii II ad Episcopos Istriae). Scientes autem latini auctores a Concilio Chalcedonensi fuisse probatos, negabant opuscula ea haetica esse, sed catholice explicanda esse affirmabant (cf. Facundum Hermianensem in Libris duodecim pro defensione trium capitulorum, quos ante Concilium scripserat). Graeci e contrario affirmabant libros illos haeticos esse, negabantque Synodum Chalcedonensem eos libros probasse aut de iis tulisse irretactabilem sententiam (cf. Edictum Iustiniani adversus tria capitula) quod et latini deinceps agnoverunt (Pelagius II. l. c.). Quoad alteram quaestionem adverti primum potest quod eius solutio a prudentia dependebat. Quamvis enim haetica opera improbanda sint, non exinde tamen consequitur ea speciatim sollemni iudicio Ecclesiae esse semper damnanda; sufficere enim plerumque potest ea generalis condemnatio qua reprobata est doctrina illis contenta, eaque certe sufficit, cum huiusmodi opera non videantur afferre posse detrimentum vel quia contemnuntur ab omnibus, vel quia nota non sunt. Ita actum esse in Conc. Ephesino quoad opera Theodori Mopsuesteni testatur Cyrillus epistola ad Proclum Episc. Constantinop. (Gallandi biblioth. T. IX. p. 696), quae licet reprobata, tamen *δι οικονομίας* dimissa sunt sine anathemate, « ne scilicet aliqui magnam viri opinionem spectantes, se ab Ecclesiis separarent ». Subditque Cyrillus quod « in his dispensatione uti optimum ac prudens est consilium ». Cum ergo Ecclesiae bonum sit ratio cur sollemni Ecclesiae iudicio proscribantur quaedam opera, fieri potest in certis adiunctis ut ad vitanda scandala et dissensiones cavendas abstinere debeat Ecclesia ab hac sollemni damnatione: quare videndum est quid prudentia consulat. Huiusmodi vero erat quaestio tunc temporis. Latini negabant damnanda esse, quia hac damnatione minueretur auctoritas Concilii Chalcedonensis quod auctores probaverat, et epistolam Ibae orthodoxam agnoverat, nihil autem magis Ecclesiae perniciosum quam detrahere auctoritati illius Synodi, quam Eutychiani adeo acriter impugnabant: quapropter perinde esset damnare ea capitula, ac favere haeticis (cf. Vigilii Constitutum versus finem). Graeci e contrario affirmabant damnatione eorum capitulorum, quae nestorianam doctrinam continebant, firmari et in tuto collocari auctoritatem utriusque Synodi oecumenicae, Ephesinae et Chalcedonensis, quae eam haeresim proscrisperant: iis vero non damnatis periculum fidei semper extare; nam iis libris tanquam orthodoxis Nestoriani abutebantur ad suam haeresim disseminandam.



Non agebatur ergo quaestio de fide, h. e. de sanciendo aliquo doctrinae capite contra haereticos, sed agebatur tum quaestio de facto dogmatico, quae mixta veluti est de fide et de personis, tum quaestio disciplinaria an oporteret sollemni Ecclesiae iudicio ea opera proscribere.

Porro Vigilii prudentissime se gessit. Primum Constantinopolim adventans ubi scivit Episcopos graecos subscripsisse Edicto Iustiniani improbantis tria capitula, eos coarguit quod sine auctoritate Apostolicae Sedis id ausi fuissent, noluitque damnationi consentire (epist. ab Italiae Clericis directa ad Legatos Francorum. Facundus Herm. op. c. L. IV. c. 3). Tum causa cognita et accepto suffragio aliorum Episcoporum scripsit ad Mennam Episcopum Constantinop. *Iudicatum*, cuius ipse mentionem facit in epistola sua ad Rusticum et Sebastianum qua eos excommunicat; quo *Iudicato* probat edictum Iustiniani. Verum quia hoc decretum oeconomice a Vigilio editum fuerat, non quia id in se arbitraretur esse necessarium, sed ut paci Ecclesiae consuleret, quam Orientales perturbabant exostulantes damnationem Capitulorum, quorum proinde querimonias et contentiones ut sopiret, Vigilii consenserat damnari capitula; hinc cum propter suum Iudicatum exarserint Occidentalium querelae et dissensiones, sensit Vigilii ea ratione finem illum non obtineri, quem unice intendebat, Ecclesiae nempe tranquillitatem; quocirca revocavit suum *Iudicatum*, voluitque rem agi in Concilio ab Occidentalibus et Orientalibus simul; et interea prohibuit quodcumque proferri iudicium. Iam vero quoad revocationem *Iudicati*, adverte illud editum fuisse a Vigilio non absolute sed hypothetice, si nempe probaretur omnibus et praesertim Occidentalibus ita ut concordia et pax obtineretur. Hic enim erat scopus potissimus Vigilii in tota hac quaestione. Quoad Concilii vero celebrationem, non illud postulavit Vigilii, quia putaret sibi sufficientem deesse auctoritatem ad finiendam quaestionem, quod quam falsum sit liquet ex decreto confirmationis tandem edito a Vigilio, ut infra ostendemus; sed quia in tanta animorum commotione prudenter arbitratus est viam componendae pacis absque periculo schismatis (quod licet iniuste fiat, oportet tamen Pastores curare ut istud malum, etsi citra eorum culpam esset futurum, impediat) eam esse, si omnium suffragiis decretum ederetur.

Cum non secundum regulam a Vigilio praescriptam Synodus coacta fuisset, volebat enim ipse interesse Occidentales quoque, parique numero cum Orientalibus, Occidentales autem aberant; noluit ipse interesse Synodo, et praesesse licet rogatus: urgentibus tamen Orientalibus concessit ut ii rem pertractarent, *facto regulari conventu, servata aequitate, mediis Sacrosanctis Evangeliiis* (epist. Vigilii ad

Eutychium Episc. Constant. Collatio 2. Conc. V). Interea, dum Orientales conferrent secum ipsis, Vigilii scripsit ad Imperatorem sententiam suam epistola satis longa, quae *Constitutum* vocatur (cf. Migne P. L. T. LXIX. p. 67). In quo Constituto Vigilii sententias Theodori Mopsuesteni damnat, parcendum vero esse dicit personae et nomini; scilicet pluribus allatis rationibus concludit: « eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam damnari concedimus », quibus verbis non dicitur absolute quod non possit aut liceat ipsum damnare; sed quod id expediens non videtur, ideoque et prohibetur; hucque prolatae rationes a Vigilio spectabant, ut non expedire demonstraretur. Tum Vigilii scripta sive Capitula Theodreti consona erroribus Nestorii anathematizat atque damnat, custodita tamen in omnibus personae eius reverentia, qui fuit probatissimus vir in Synodo Chalcedonensi: ideoque statuit nihil in iniuriam atque obreptionem illius sub taxatione nominis eius a quocumque fieri vel proferri. Idem tandem statuit circa Ibam, eiusque epistolam. In hoc videtur differre *Constitutum* a *Iudicato*, quod in *Iudicato* videtur Vigilii consensisse in damnationem quoque personae Theodori; nam in litteris damnationis Rustici et Sebastiani ita Vigilii exponit obiectum *Iudicati*, inquit « causa capitulorum, idest de dictis Theodori Mopsuesteni eiusque persona, sed et de epistola quam ab Iba ad Marin Persam perhibetur scripta, nec non et dictorum Theodreti ». Ubi quoad alios duos sola fit mentio scriptorum, quoad primum vero etiam personae. Nimirum quoniam res libera erat ad disciplinam spectans, Occidentales autem significaverant se abhorre a damnatione personarum, ut se eis Vigilii pro bono pacis accommodaret, censuit et decrevit ut ab hac damnatione abstinendum esset. *Constitutum* vero Vigilii Iustinianus non communicavit Patribus Concilii.

Tandem absolutis collationibus Patrum Orientalium, lataque ab eis sententia, Vigilii post sex menses illud idem, quod ii statuerant, probat, suumque facit epistola ad Eutychium, qui praefuerat Concilio; quae epistola, eo quod statuit et decernit quod Synodus decreverat, tanquam Apostolicae Sedis Confirmatio Synodi a Graecis habita est, et in acta Synodi relata. Genuinam esse eam epistolam probat De Marca (Migne Tom. LXIX. P. L. pag. 127. seqq.) et Natalis Alexander H. E. Sec. VI. Diss. 3. a. 3. In qua notandum est, quod Vigilii nullam mentionem Synodi facit, sed sola sua auctoritate interposita damnat tria capitula quemadmodum damnaverant Graeci. Sententia est: « Condemnamus et anathematizamus Theodorum olim Mopsuestiae Episcopum una cum impiis eius scriptis, nihilominus ea quoque quae contra rectam fidem, et duodecim capitula S. Cyrilli et



contra Synodum Ephesinam primam et pro defensione Theodori et Nestorii Theodoretus scripsit: praeterea epistolam ad Marin Persam haereticum quae ab Iba scripta dicitur». Rediit scilicet Vigilus ad sententiam *Iudicati*, damnans etiam personam Theodori. Pari ratione locuti sunt Patres Concilii, Collat. 8. « Si quis defendit impium Theodorum, et impia eius conscripta (cn. 13), si quis defendit epistolam quam dicitur Ibas scripsisse (cn. 14) » etc. Rediit vero Vigilus ad priorem sententiam quoad personam Theodori, censuitque sollempni iudicio damnationem trium capitulorum ferendam esse, quia et res in se utilis, et a Graecis ex postulabatur, et dissensionum timor cessaverat, ut ipse testatur in decreto confirmationis; ubi postquam dixerit extitisse scandala et perturbationes propter ea capitula, subdit: « Quoniam Christus Deus noster, qui est lux vera, omni confusione a mentibus remota, universum orbem et Ecclesiam ad pacem revocavit etc. »

Ergo si qua mutatio extitit in sententia Vigilii, ea prudentissima fuit, nec ad fidei doctrinam, sed ad disciplinae oeconomiam spectabat. Cf. Baronium ad ann. DLIII. n. 230. seqq.

2° Concilium non fuit vere oecumenicum convocatione; Vigilus enim volebat et Occidentales adesse: quod cum Iustinianus morae impatiens impediverit, permisit quidem Vigilus graecis ut Synodum agerent sed non ideo effecit ut Synodum oecumenicam agerent; ideoque haec permissio Vigilii perperam producitur pro tuenda oecumenicitate Synodi. Multo minus fuit oecumenicum celebratione, cum absente Papa eiusque legatis celebratae sint sessiones a solis graecis: quia vero deinceps sententia Vigilii, ut diximus, accessit probantis quod Synodus statuerat, evasit concilium auctoritate oecumenicum. Et ita haec Synodus cum ceteris oecumenicis in honore fuit, simulque cum illis suscepta a Romanis Pontificibus et defensa est, ut liquet ex epistola 3<sup>a</sup> et 6<sup>a</sup> Pelagii I successoris immediati Vigilii, ex epistola Pelagii II iam citata, et epistola Gregorii M. 25. L. I. ad Ioannem Episcopum Constantinop. ceterosque Patriarchas, atque ex secunda fidei professione, quae exstat in libro diurno Romanorum Pontificum (Migne. Tom. 105).

3° Distinguenda sunt tempora. Ante Vigilii peremptoriam sententiam plures Ecclesiae occidentales abhorrebant a damnatione trium capitulorum; sed post Vigilii confirmationem res aliter se habuit. Satis liquet ex Victoris Tunonensis Chronico Pelagium I, vix ac Pontifex creatus fuit, approbasse eandem Synodum, eiusque exemplo Africanos et Illyricianos Episcopos pene omnes ab defensione pertinaci trium capitulorum cessasse. Schisma quidem fecerunt Episcopi Venetiarum et Istriae; cuius schismatici dissensus causa fuit igno-

rantia et superbia. Lege epist. Pelagii II ad eosdem. Verum quid inde consequitur? Rebellio eorum erat non solum adversus Pontificem, sed et adversus Concilium quod auctoritate oecumenicum evaserat: an ergo et Concilia insuper haberi posse dicent? Errarunt ergo illi Episcopi et ideo errarunt quia Romanae Sedi parere noluerunt.

4° S. Isidorus Hispalensis in chronico n. 115 haud accurate loquitur inquiring de Iustiniano: « Iste acephalorum haeresim suscipiens, omnes in regno suo Episcopos tria Chalcedonensis Concilii capitula damnare compellit ». Idem in libro de viris illustribus n. 5. ex encomiis, quibus a quibusdam catholicis viris honestatus fuerat Mopsuestenus, colligit eum fuisse clarissimum Ecclesiae Doctorem; eumque dicit ab acephalis in praeiudicio Chalcedonensis Concilii cum Iba et Theodoro fuisse damnatum. Huiusmodi errorem non brevi tempore Hispanis Episcopis inhaesisse fatetur Natalis Alexander l. c. qui quintam Synodum inter oecumenicas non recensebant: hunc tamen dissensum hispanorum (ait idem ibidem) Romani Pontifices non approbarunt, sed oeconomia quadam dissimularunt, donec errorem facti dedocerentur, quia non de fide sed de personis tantummodo actum erat in Concilio V. Episcopos quoque Hibernos dubios hac in re fuisse censet Baronius cum Antonio Pagio ad an. 592. aliisque, ducto potissimum argumento ex quadam epistola Columbani ad Bonifacium IV; qui idcirco censent legitimum esse titulum epistolae Gregorii M. 51<sup>o</sup> ex L. II ad Episcopos per *Hiberniam*: licet forte probabilius sit legendum esse *per Histriam*.

II. Ad causam Honorii quod spectat, haec ex ordine tenenda censemus. 1° Certum est literas fuisse ab Honorio missas ad Sergium Constantp. in quibus unam assereret Christi voluntatem eo quod ab ipso nostra natura assumpta est non culpa; huius rei ante Synodum VI testes sunt Ioannes IV et Ioannes abbas qui eam epistolam ex iussione Honorii dictaverat, et S. Maximus; qui testes eam respiciunt epistolam, quae prior atque integra lecta est in Synodo VI act. 12°. 2° Certum est Honorium in epistolis suis non haeresim sed doctrinam catholicam docuisse. Sane a) in epistola 1<sup>a</sup> (Conc. VI. Act. 12) ait: « confitentes Dominum Iesum Christum, mediatorem Dei et hominum *operatum divina*, media humanitate Verbo Deo naturaliter unita, eundemque *operatum humana* ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse et inconvertibiliter ». Altera autem epistola (Act. 13): ait « quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus... *utrasque naturas* in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione *operantes*, atque *operatrices* confiteri debemus: et divinam quidem



quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exsequentem, non divise, neque confuse aut convertibiliter sed naturarum differentias integras confitentes». b) Cum unam voluntatem Christo asseruit, esto quod statum quaestionis non sit assecutus, at de natura tantum humana locutus est, negavitque Christo voluntatem peccati, seu concupiscentiam malam, vel fomitem peccati: ait enim epist. 1<sup>a</sup>: « Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae est post praevaricationem vitiata (quibus verbis una voluntas naturae humanae significatur; cum igitur in praecedentibus asseruerit perfectam Christi divinitatem inconfuse et impermixte unitam humanitati, ideoque et divinam voluntatem; satis aperte duplicem voluntatem duplicemque operationem docuit: cf. epist. S. Maximi ad Marinum presbyterum). Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius... Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatoris, quia super legem natus est humanae conditionis». Cf. Ioannis IV epistolam ad Constantinum Imperat. pro defensione Honorii; tum S. Maximi citatam in Collectaneis Anastasii bibliothecarii inter Opera Sirmondi Tom. III. Ad rationem tamen loquendi quod spectat, Honorius nullam fraudem suspicatus, in eam sententiam cum haereticis concessit quod nihil referret unam aut geminam operationem Christi dicere epist. 1<sup>a</sup>: « Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una aut geminae operationes debeant dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis... Nos enim non unam operationem, vel duas operationes D. N. I. C. sacris litteris percipimus, sed multiformiter cognovimus operatum». His verbis (nisi ea sint ad quae referendum est quod reprehendebat in textu graeco epistolae Honorii Ioannes Abbas qui per iussionem Honorii eam latinis dictionibus dictaverat, nimirum « quod nullo modo in ea mentionem per numerum fuerit unius omnimodis voluntatis; licet hoc nunc sit fictum ab his qui hanc in graecam vocem interpretati sunt», ut refert S. Maximus epist. citata) his, inquam, verbis videtur Honorius unam vel duas accepisse distinctione numerica, cum e contrario distinctione specifica accipienda essent. Probavit proinde oeconomiam a Sergio propositam ut unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei eximeretur et scriberetur ad communes fratres Cyrum et Sophronium antistites, « ne novae vocis idest unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur, sed abrasa huiusmodi novae vocis appellatione unum Christum nobiscum in utrisque naturis divina vel

humana praedicent operantem»: ipseque Honorius instruxit Sophronium « ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare ininitatur » (epist. 2). Oeconomia scilicet silentii usus arbitratus est Honorius se consulere paci Ecclesiae in quaestione quam non de re sed de verbis esse putabat.

Verum probabile satis est Honorium actus praeterea edidisse quibus semota oeconomia silentii positive se opposuit Monotheletis. Nam satis probabile est ipsum approbasse Synodalem sententiam latam a Sophronio contra Monotheletas in Synodo Hierosolymis habita, cuius acta transmissa de more fuisse Romam testantur Georgius Cedrenus et Ioannes Zonaras (H. Byz. Tom. IX et XIV), Romaeque fuisse bene suscepta et probata, ita ut propter assensum praestitum Romae actis Sophronii Heraclius ira excandescens Ecthesim suam promulgaverit. Porro licet illi Scriptores appellent Romanum Pontificem qui acta suscepit Ioannem successorem Honorii; quia tamen Sophronius sub Honorio decessit qui illi supervixit, facile liquet legendum esse Honorium; praesertim cum Ecthesis scripta sit eo anno quo Honorius defunctus est, missaque ad Severinum eius immediatum successorem antequam ordinaretur, ut ei subscriberet. (Lege Baronium et Antonium Pagi ad an. 639).

2<sup>o</sup> A nobis adhuc impetrare non potuimus ut censeremus acta Synodi VI ubi Honorii damnatio occurrit, fuisse interpolata; at dubitare licet an Leo II ea suscepit cum damnatione Honorii, licet quadantenus temperata quemadmodum exstat in literis Leonis, et inferius referimus. Quoad primum satis est conferre quae Garnerius disputat in Appendice Libri diurni a se editi ad notas Capituli II. §. 6 et Natalis Alexander H. E. Sec. 7<sup>o</sup> ac Franc. Antonius Cavalcanti in Vindiciis Romanorum Pontificum Lib. VIII. alique passim. Quoad secundum ratio dubitandi esse potest multiplex. Nam 1<sup>o</sup> ratio sufficiens huius damnationis ex parte Romanae Sedis defuisse videtur; cum praesertim Agatho normam suis legatis in VI Synodo praescribens agendorum, eorumque defunctorum mentionem faciens quos ipse noverat damnandos esse, nullam Honorii mentionem fecerit (Epistolae Agathonis lectae Act. 4<sup>a</sup>): unde consequens esset Legatos et Orientales modum sibi constitutum excessisse, ideoque potius improbandos fuisse a Romana Sede quam probandos. 2<sup>o</sup> Huiusmodi sententia Leonis haud satis congruebat cum professione praedecessoris sui Agathonis publice lecta in Synodo, quod nimirum « Apostolica Petri Ecclesia nunquam a via veritatis in quamlibet erroris partem deflexa est, cuius auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis seculae sunt ». Etsi enim Honorius non traducatur ut do-



ctor haeresis vel eius approbator a Leone, tamen ipsa connumeratio vel subnumeratio Honorii haereticis eiusque sollemnis proscriptio haud congrue tunc fit cum editur et confirmatur sollemnis professio immunitatis ab errore omnium praecedentium Pontificum. Nam cum illa damnatio incautis posset esse occasio arbitrandi Romanum quoque Pontificem errare posse, qui dignitatem et auctoritatem Romanae Sedis tueri vult, ex lege quadam morali eo ipso impeditur ne id affirmet quod illi adversum esse videri queat. 3° Adrianus II in Concilio Romano (quod refertur in Act. 7° Synodi VIII) ait, ut videtur, data opera Honorio dictum fuisse anathema *ab orientalibus*, scilicet non dicit *a Synodo* quae utrosque complecteretur et Patres et Romanum Pontificem, sed dicit tantum *ab orientalibus*. 4° Anastasius bibliothecarius in praefatione ad Collectanea pro defensione Honorii comparat eam damnationem Honorii cum iis canonibus Synodisve graecorum quae non fuerunt recepta a Romana Sede, minime id facturum si novisset illam a Romana quoque Sede fuisse probatam. Nec vim argumenti tertii infringunt verba Adriani quae subsequuntur: « quamvis et ibi nec Patriarcharum nec ceterorum praesulum cuiquam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primae Sedis Pontificis consensus praecessisset auctoritas »; nam respondere licet ipsum hypothetice solum loqui.

Verum ecce tibi epistolae Leonis II tum ad Constantinum Pogonatum, tum ad Episcopos Hispaniae, in quibus Synodus VI suscipitur, ratioque redditur cur Honorius quoque damnatus sit; eas forte spurias esse vel interpolatas non immerito cum Baronio tibi persuadebis: sed rursus ecce secunda professio fidei in libro diurno Romanorum Pontificum, quam electus Pontifex edebat, in qua cum haereticis reiicitur quoque *Honorius qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit*. Porro intelligere non licet quomodo in libellum privatum Romanae Curiae et secretum manus haereticorum interpolatorum irrepere potuerit. Ecce praeterea lectio quarta quae olim in Breviario Romano in festo Leonis secundi legebatur, quae cum haereticis ab eo proscriptis connumerabat quoque Honorium. Quid ergo? etsi liceat nobis quaestionem historicam in medio relinquere, superest tamen difficultas dogmatica, quae ad nos spectat. Nam negari nequit creditum olim fuisse quod Honorius fuerit damnatus probante quoque Romana Sede, atque ea saltem ratione damnatus quam Leo II in suis epistolis et liber diurnus exhibent. Sive ergo vere fuerit sive secus Honorius a Synodo damnatus, et sive Synodus errore facti decepta fuerit sive non, instaurari potest ab adversariis argumentum hoc pacto: censuit universa Synodus, sive post ipsam universa Ecclesia posse Romanum Pontificem damnari tanquam haereticum; ergo non est habitus Rom. Pontifex ut infallibilis.

3° Ut ergo respondeamus, advertimus opus non esse ut laboremus in explicandis formulis adhibitis ab Orientalibus in damnatione Honorii, earumque vi emollienda, quod quidem difficile esse arbitramur. Cf. tamen Garnerium l. c. Contendimus id non requiri; nam 1) robur sententiae conciliaris pendet a consensu Romanae Sedis: 2) si creditum est olim fuisse Honorium damnatum ac potuisse damnari, id de ea ratione damnationis acceptum est quae a Leone II dicebatur profecta. Nec si Patres orientales putarunt damnari posse ut haereticum Rom. Pontificem, consequens est id esse tenendum. Nam 1° eorum sententia citra consensum Romanae Sedis non est infallibilis: 2° cum graecos Episcopos ab aliquot seculis occupavisset quaedam species aversionis a Romana Sede, iidemque tunc aegre satis ferrent tot suos Patriarchas damnari, haud temere censebimus ipsos occasionem nactos vices reddendi Romanae Sedi eam avide arripientes modum praetergressos esse in pronuncianda sententia. Ne vero unio Ecclesiarum periclitaretur, Leo II damnationem quidem permisit, sed tolerabili quodam sensu temperavit qui veritati non repugnaret (cf. vindicias citatas L. VIII. Diss. 3°). Sane Leo II in epistola ad eundem Constantinum, qua confirmat Concilium ait: « Anathematizamus novi erroris inventores Theodorum Pharanitanum, Cyrum etc. nec non et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicae Traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit ». Macula scilicet iniusta Romanae Sedi est profana proditio, quae qualis fuerit explicatur ab eodem Leone in epist. ad Episcopos Hispaniae: « Qui adversus Apostolicae doctrinae puritatem perduelles exstiterant, abeuntes quidem aeterna damnatione multati sunt, idest Theodorus, Cyrus etc. cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit ». Id porro non est in fide errare, multoque minus errorem ex cathedra docere, sed peccatum est negligentiae ideoque imprudentiae et conversationis.

4° Advertendum est tandem quod non fuit necessaria quidem ea damnatio; haereticus enim non fuerat Honorius, eumque Martinus I in Concilio Lateranensi praetermiserat: verum nec iniusta fuit. Nam anathema illud defunctis dictum, quo ab Ecclesia proiciebantur, eo spectabat ut eorum nomina e sacris diptychis delerentur, et in Ecclesia non appellarentur, aut non sine dedecore, eorumque scripta exterminarentur (Act. 14). Iam vero ut huiusmodi poena Pontifici defuncto iuste inferri posset, requirebatur ex parte iudicis auctoritas, ex parte rei dignitas, h. e. quod vel culpabili negligentia (quae sine ullo affectu ad haeresim haberi potuit) confoverit haeresim, vel